

tus Ascanius diligentissime colebat, piissimae. Doleo cognatos reliquosque necessarios demortui honoratissimos. Neque vero quisquam heic est, quin in societatem doloris, eo magis, veniat, quo maiorem applausum virtus B. ROCKENFVSSII promeruit; quem, nunc maxime sonorum ac sine villa exceptione communem, a singulis retulit. Immo vero non pauci sunt, qui lacrymis hoc funus ornatisimi viri, longiore vita digni prosequebantur. Tanta vis integratatis est, ut moeroris signa reprimere haud possint integrissimi quique! Sed nouus isque maior metus, pium gregem, cui summa fide huc usque praefuisti, angit. Timet, *Vir summe Reuerende*, ne TE ipsum, ephorum et animorum pastorem exoptatissimum amittat, si fortean vehementiori percelli et prosterni TE animi aegritudine paterris. Parces igitur lacrymis. Facies lugendi modum ac solatio locum, quem ipsa exigit ratio, immo pietas, relinques.

Nosti, VIR VENERANDE! in militia CHRISTI multis ex annis miles et antesignane! quibus armis a DOMINO adorando duce nostro datis vel ipsam deuincere mortem et quosvis eius horrores debellare possimus. Ipsem et apprime tenes, nullum plane mortis genus (licet aliud atque aliud hominibus, qui sensibus plurimum tribuunt, asperum et horribile videatur) existere, quod beneficio necis exoscandi SALVATORIS nostri, acerbissimo crucis suppicio affecti, non in *αδιάφορον*, tolerabile, immo laetabile stipendum sanctis ac DEO mancipatis hominibus mutatum sit. Vnicus intuitus in reuelatam de IESV CHRISTO doctrinam, qui ex ultimis nos erectos malis ad infinitas reduxit felicitates, lacrymantes oculos Tvos deliniuit. Iterum dico; vnicus intuitus in summum istum caussae nostrae vindicem (cui aeterna sit gloria!) provti et ceteroquin potior esse solet milles triumphis demonstrationum scientificarum,

abodQ

A 3

quas